

Denique in extremis quasita repertaque terris
CHINA fuit, sub Sole novo & felice reposta,
Incertisque remota vijs, ubi Dogmata CHRISTI
Incrementa iterum caperent. Hic Vere perenni
Cuncta nitent, gaudetque suo Natura sereno.
Hic melior Cœli Regio, placidumque Cubile
Solis, & æternum rident clementia Tempe:
Uberat hinc dives repetitis messibus Æstas.
Nempe parum fuerat patrias adducere Terras
Salvificæ Fidei, claro irradiare Salutis
Lumine, & obscœnas procul hinc depellere Sectas,
Frendeat ipse licet, licet infremat Orbis & Orcus,
Ignivomosque crepent mixtâ pice Tartara bombos:

Intactos etiam procul hinc penetrâstis ad Indos
A Socio sanctum geritis qui Nomen JESU,
Abrepti fervore novo. XAVERIVS (O quem
Te memorem, DIVINE SENEX, quem dicere tantum,
Laudâsse est! Nam nemo satis celebrare potest TE)
Primus erat, CHINAS avidâ qui mente petivit:
Quamvis in Medio voluerunt sistere cursu
Fata Virum, Meritisque Illum DEVS intulit Astris:
Ast Alij pressere viam, quam Sancta Parentis
Monstrârant avido vestigia pressa Calore.
Intentata rudis nam nec minus ipsa volârunt
Thetyos ad spacia, & citò trans Maria alta ruère,
Trans terras procul hinc alieno Sole calentes,
Hic ubi terra patet Stygio sub gurgite mersa,
Ac alius Populis alio micat orbe Bootes.
Non secus ut Pecoris generosi pullus in arvis,
Si qua sonum subito gratum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus & tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Aut cum præcipiti vastum certamine Campum
Corripuère ruuntque effusi Carcere currus,
Cum spes arrecta juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, spumis Flatuque sequentum
Humescunt, rapidisque volant velocius Euris,
Tantus amor laudum, tanta est Victoria cura.

Sic ruit IGNATJ per sævas Aequoris undas
Sancta Cohors, pulchrâ vitam pro laude paciscens.
Illa per undisonos felici remige Fluctus
Labitur in CHINAM, cernens Solemque diemque
Se jam ponè sequi, ac astris præeuntibus audet
Successus sperare bonos, afflantibus Euris
Mox capiens documenta sibi, Cœlique favore
Latior ignotos Populos & Regna salutat

At dum